

mortuum mare, vsq; ad promontoriū Rubeas, vltra deinde Croniū: Xenophon Lampfacenus, à litore Scytharum tridui navigatione, insulam esse immēsa magnitudinis Baltiam tradit. Eandē Pytheas Basiliam nominat. Feruntur et Oone, in quibus ouis auium et aduenis incolæ viuant. Aliæ, in quibus equinis pedib. homines nascantur, Hippopodes appellati: Fanestiorū aliæ, in quibus nuda alioquin corpora prægrades ipsorum aures tota contegant. Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingaonū, quæ est prima inde Germaniæ, seuo mons ibi immēsus, nec Riphæis iugis minor immanem ad Cimbrorū vsq; promontoriū efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertus insulis: quarū clarissima Scandinauia est, incomperatæ magnitudinis, portionem tantū eius, quod sit notum, Hilleuionū gente D. incolente pagis, quæ alterū orbem terrarū eam appellat. Nec est minor opinione Eningia. Quidā hæc habitari ad Vistulam vsq; fluuium, à Sarmatis Venedis, Scyris, Hirris tradunt. Sinum Clylipenum vocari, & in ostio eius insulā Latrim. Mox alterū sinum Lagnum, conterminū Cimbris. Promontorium Cimbrorum excurrēs in maria longe peninsulā efficit, quæ Cartris appellatur, xxij. M. pass. Inde insulæ Rom. armis cognitæ. Earū nobilissima, Burchana, Fabaria à nostris dicta, à frugis similitudine spōte provenientis. Item Glessaria, à succino militiæ appellata, à Barbaris Austrania, præterq; Actania. Toto autē hoc mari ad Scaldin vsque fluuium, Germanicæ accolunt gentes haud explicabili mensurā, tā immodica prodentium discordia est. Græci & quidā nostri, XXV. M. pass. oram Germaniæ tradiderunt. Agrippa cum Rhetia et Norico longitudinem dclxxvi. M. passuum, latitudinem cclxxvij. M.

Germania.

CAP. XIII.

Rhetia prope vnus maiore latitudine, sane circa excessum eius subacta. Nā Germania multis postea annis nec tota percognita est. Si comiectare permittitur, haud multum oræ deerit Græcorum opinioni, & longitudinis ab Agrippa prodita. Germanorum genera v. Vindili, quorū pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingaones, quorū pars Cimbri, Teutoni, ac Cauchorum gentes. Proximi autē Rheno Isteuones, quorum pars Cimbri mediterranei: Hermiones, quorū Sueni, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Basterne, supraddictis contermini Dacis. Amnes clari in oceanū defluunt, Guttalus, Vistillus sine Vistula, Albis, Visurgis, Amisus, Rhenus, Mosa. Introrsus vero, nulli inferius nobilitate, Herciniū iugū præten ditur.

Insulæ in Gallico oceano. CAP. XV.

In Rheno ipso, prope c. M. pass. in longitudinem, nobilissima Batauorum insula, et Cannenusatum, & aliæ Frisiorum, Cauchorū, Frisiabonū, Sturiorum, Marsatorum, quæ sternuntur inter Helium ac Fleuum. Ita appellatur ostia in quæ effusus Rhenus, ab septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mo-

sam se spargit: medio inter hæc ore, modicum nominis suo custodiens alueum.

Britannia, & Hybernia.

CAP. XVI.

EX aduerso huius situs Britannia insula, clara græcis nostrisq; monumētis, inter septētrionem & occidentē iacet: Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, multo maximis Europæ partibus magno intervallo aduersa. Albion ipsi nomen fuit, cum Britaniæ uocaretur omnes, de quibus mox paulo dicemus. Hæc abest à Gessoriaci Morinorū gentis littore, proximo traiectu quinquaginta M. Circuitu vero patere tricies octies centena viginti quinq; M. Pytheas & Isidorus tradunt, triginta prope iam annis notitiā eius Rom. armis non vltra vicinitatem syluæ Calidoniæ propagantibus. Agrippa longitudinem dccc. M. pass. esse: latitudinem ccc. M. credit. Eandem Hyberniæ latitudinem, sed longitudinem cc. M. passuum minorem. Super eā hæc sita abest breuissimo transitu à Silurū gente xx. M. pass. Reliquarum nulla cxxx. M. circuitu amplior proditur. Sunt autē xl. Orcades, modicis inter se discretæ spatijs. Septem Acmodæ, & xxx. Hæbudes, & inter Hyberniam & Britannia Monapapia, Ricnea, Vectis, Silimnus, Andros. Infra vero Stambis, & Axantos. Et ab aduerso in Germanicū mare sparse Glessaria, quas electridas Græci recentiores appellauere, quod ibi Electrum nasceretur. Vltima omnium quæ memorantur, Thule: in qua solstitio nullas esse noctes indicauimus, cancri signum sole transeunte, nullosq; cōtra per brumā dies. Hæc quidam senis mensibus cōtinuis feri arbitratur. Timæus historicus à Britaniā introrsus sex dierum navigatione abesse dicit insulam Micim, in qua candidū plumbum proveniat. Ad eam Britannos vitilibus nauigijs corio circumfusus nauigare. Sunt & qui alias prodāt, Scandiam, Dumnā, Bergos: maximamq; omnium Nerigon, ex qua in Thulen nauigetur. A Thule vnus diei navigatione mare concretum, à nonnullis Cronium appellatur.

Gallia.

CAP. XVII.

GAllia omnis comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, omnibus maxime distincta. A Scalde ad Sequanam Belgica. Ab eo ad Garumnā Celtica eademq; Lugdunensis. Inde ad Pyrenæi montis excursus Aquitania, Aremorica ante dicta. Agrippa vniuersarum Galliarum inter Rhenum & Pyreneum, atque oceanum ac montes Gebernam et iuram, quibus Narbonēsem Galliam excludit, longitudinem ccccxx. M. pass. latitudinem cccxij. cōputauit. A Scaldi incolunt externi Toxandri pluribus nominibus. Deinde Menapij, Morini, Oromansaci iuncti pago qui Gessoriacus vocatur: Britanni, Ambiani, Bellouaci, Hassi. Introrsus Castologi, Atrebates, Neruij liberi, Veromandui, Sueconi, Suesiones liberi, Vlbaneetes liberi, Tungri, Rinuci, Frisiabones, Betasi, Leuci liberi, Treueri liberi antea, & Lingones fæderati, Remi fæderati, Mediom-